



## I. Abtheilung: Studien.

### SS. P. N. Benedictus Ecclesiae Dei Lux Indeficiens.

Labente anno millesimo - octingentesimo - octogesimo - sexto publici iuris facere coepimus tractatum sub enunciato titulo; uti videre est Tomo VII fascie. tertio, pag. 1—9 huius nostrae Ephemeridis. At vix exorditi eramus, cum magna calamitas consodalem nostrum articuli auctorem incessit, quae vitam ipsius fere in discrimen adduxit. Modo, opitulante Numine, viribus, quantum fas est, resumptis, manum operi coepto iterum admovet, et quod ante dissertum erat paucis expediet in commodum sive veterum sive recentiorum Ephemeridis lectorum.

Character SS. P. N. Benedicti illo Isaiae oraculo: Ecce dedi te in lucem gentium, ut sis salus mea usque ad extremum terrae ita continetur, ut si ceteri Christianae sanctitatis heroes, velut minores ignes Ecclesiae affulserint, Benedictus uti sol ortus esse dicatur, gentibus omnibus, omnibusque aetatibus, omni ratione illuminandis usque in diem illum, qui in aeternitatem occidet. Quoniam vero quisque solis radius in septem colorum species sensibiliores per crystallum seu prisma resolvitur; in his septem meritorum praerogativas duleissimi Parentis nostri inspicere adumbratos licuit. Nempe: Apostolatus, sive dilatandae Fidei studium — Divini Cultus promovendi magisterium Petri Cathedrae, minorumque Ecclesiarum regimen, — Monastici Ordinis constitutionem — totius humani generis in civile consortium rectam compositionem — Rei litterariae, scientiarumque conservationem et incrementum — Pulcrarum omnium artium progressum vel creationem.

Et quod inprimis ad Apostolatam attinet, cum huius partes sint sive Gentes fidei lumine imbuere, sive haereticos ad veritatem revocare; probata per firmissima argumenta Benedictini apostolatam amplitudine ad cunctas terrarum plagas Europae, Asiae, Africae, Americae et Oceaniae: subiicitur

Secunda Paragraphus  
De Apostolatu Benedictino ad Haereticos.

In Dei Ecclesiam proelia parare Erebi potestatum perpetuum studium. Idcirco extinctae mox per Benedictum idololatriae iuvit eas haeresim sufficere; quippe quae veram fidem inficiens, hanc vanam simul reddit ad genus humanum servandum. Potens Benedicti dextera, quae priorem confregerat, alteram quoque oppressit. Neque sub ista tantum vel illa forma, vel uno aut alio aevo, vel certa quadam regione, aut peculiaribus armis adhibitis. Verum sub qualicumque ipsa indiderat forma, qualicumque ipsa apparebat aetate, ubique terrarum, omnibusque ad scopum argumentis, videlicet auctoritate, disputatione, scriptis, suasionibus, martyrio.

Gregorius Magnus, illustrior inter Maximi Benedicti filios, Longobardos ab Ariana pravitate divellit; Donatistas in Africa, quos incassum Augustinus insectatus fuerat, ipse protrivit: sicut de Manichaeis in Sicilia, incerti nominis haereticis Thessalonicae, Eutyehianis, Barbaricinis, Agnoitis, Judaeis, Simonianis toto orbe triumphavit.

Purgavere Hispaniam: a Gothis Arianis Leander Hispalensis, Joannes et Nonnitus Antistites Gerundenses; ab Orientalibus de Trinitate erroribus Eugenius Toletanus; ab Elvidianis, Jovinianis, Antidicomarianitis Ildephonsus; ab Acephalis Isidorus, a Nestorianismo per Elipandum Episcopum Toletanum et Felicem Urgellensem reviviscente Beatus et Felix Obonensis et Eterius Praesul Oxomensis. Quamvis Angilperti Abbatis Centulensis fuit ad pedes Adriani I. Pontificis Urgellitanum adducere ad eiurandam haeresim: teste Eginardo a consiliis Caroli Magni et annalium non mediocri notae scriptore.

Ad abolendas Photini et Bononii haereses Synodus Nationalis Galliarum anni sexcentissimi-decimi-septimi neminem cognovit aptiorem, praeter Luxovienses Monachos, ducibus Eustasio et Agilone abbate. Errores Agrestini refutantur et delentur non modo per monachos, imo per sacras Benedictinas Virgines, antesignana et magistra admirabili Burgondofora Evoriacensi.

Italiam simul et Germaniam haeresis Felicianae invadit. Sub anathemate Concilii Francofurtensis corrui, maximopere adnitentibus Benedicto Anianensi Abbate et Alcuino septem librorum in eam scriptore. Pelagianus revincuntur a Beda, Antropomorphae a Raterio antistite Veronensi ex monacho Lobiensi, Icono-

clastae tum a Bertualdo, tum a Gregorio II. et Stephano IV, Pontificibus Benedictinis, Monothelitae ab Agathone Papa et Audoëno Episcopo, Hebraii a Sulpitio, Ariani a Victorpo et Fulgentio Astigitano, Sabelliani ab Anselmo, Praedestinatiani ab Hincmaro. Unus Alanus ab Insulis restitit Valdensibus, Albigenibus, Sacramentariis, Iconoclastis. Petrus Damiani Nicolaitis, incestuosis, Simonianis, et sacrorum ordinum iteratoribus; pluribusque pariter haeresibus Bonifacius, tonitruus filius a Baronio appellatus.

Magna quidem haec sunt, et affatim ac superabunde ad probandam excellentiam et universalitatem Benedictini Apostolatus ad haereticos; ita ut praeterire lubet Alacrinum, Cadocum, Oddonem, Almaricum, Petrum Tarantasiae, Dominicum Soranum, celeberrimos haereticorum errorum debellatores; imo Petrum a Castronovo primum Fidei Inquirentem fuso sanguine adsertae.

At fert animus nostram orationem contrahere ad oculos subiiciendum ordine chronologico quod a saeculo XI. ad duodevicesimum spiritus almi Benedicti Parentis per sobolem suam egit ad contutandum Catholicum Dogma, praecipue de Eucharistico Mysterio, deque Pontificis Maximi primatu, illo moralis vitae Ecclesiae fonte, isto centro veritatis inconcutibili.

Saeculo XI Claudius Taurini Praesul inficere est ausus cultum Sanctorum iconibus. Calamum in eum acuunt Theodemirus Abbas, Valafridus Strabo, Hincmarus Rhemensis. Animae immortalitatem negat Valfridus: Durandus Abbas Castrensis ad incitus redigit. Haereticus Peregrinus omnibus insuperabilis, a Benedictino Ratbodo prima decertatione fractus, ad fidem et ad claustra deducitur. Impetunt Christum in Eucharistia praesentem Joannes Scotus Erigena et Photius Romanae Ecclesiae primatum. In unum pugnat Paschasius Radbertus, in alterum Oddo ex Abbate Corbeiensi Praesul Belluacensis, in utrosque simul Ratramnus ab Apostolica Sede laudibus exornatus. Haeresis Berengariana praevisa et oppugnata fuit apud sacrum Benedicti Ordinem, antequam nasceretur. Phulberto Carnotensi ostenderat per visum Dominus satanam ad sequendum Berengarium per plures populorum illecebris oblectamentisque allicere. Unde sanctissimus antistes adhuc vitam agens omnes vires contulit ad Berengarium malo abripiendum, in quod animadverterat, proclivem; moriens noluit testem sui agonis extremi; demortuus elucubrationem ex testamento reliquit: De veritate Corporis Christi in SS. Eucharistiae Sacramento. Unde haeresiarca in arenam descendente et aperta fronte dimicante agmen Benedictinorum praesto fuit manus cum eo conserere, profligare, conterere. Excelluere inter ceteros Durandus Abbas Troarnensis, Bruno Antistes Signiensis, Hugo Lingoniensis, Guitmundus Aversanus, Lanfrancus Cantuariensis, qui ad eiuran-

dum errorem adversarium adegit, Albericus Cardinalis Casinensis, qui recidivo omnem fraudi legendae viam obstruxit opere De Corpore Domini cursu unius hebdomadae elaborato, et verbo Substantialiter formulae professionis fidei in Eucharistiam adiecto; demum Hildebertus Cluniacensis, iam ipsius Berengarii discipulus, et auctor novae vocis Transubstantiatio, quae Ecclesiae et scholae numquam peribit. Columniae in Petri Sedem a Michele Caerulario Patriarcha Constantinopolitano, Leone Acridano et Niceta Pectorato conflatae, et ab Umberto monacho Tutelensi in nihilum redactae, huic honorem compararunt Cardinalis Legati Leonis IX Pontificis ad abolendum schisma Orientis. Roscelino Mysterium Trinitatis impetenti admirabilem illum De Incarnatione Tractatum opposuit Anselmus, qui doctissimis profundissimisque ingenii sui monumentis Catholicum Dogma illustravit in Atheos, Ethnicos, Judaeos, omnisque furfuris heterodoxos. Orientis schismaticos praesertim ita triumphavit convicitque de Paracliti Spiritus a Patre Filioque Processione, ut Urbanus Papa II in publica Synodo Barensi ab hac ad illum apostrophe se continere non potuit: Benedictum sit cor tuum, et sensus tuus, et os et sermo oris tui sit benedictus.

Cum saeculum XII prae ceteris atra simoniae lues infecisset, statim habuit propulsores Ettonem Episcopum Argentinensem, Joannem Gualbertum, Petrum Igneum, universumque coetum monachorum a Valle umbrosa nuncupatum. Errores Cassiani a Bernone Abbate Augiae Divitis detecti fuere et refutati. Iterum in Judaeos pugnarunt Gilbertus Abbas Westmonasterii, Rupertus Tuitiensis, Gilbertus Novingentensis, Petrus Venerabilis, qui triplici scriptura Petrobusianos subegit, quarta Mohametanos. Ecbertus Sanctae Elisabethae Sconaugiensis germanus scriptis et publicis decertationibus Coloniae habitis ita Catharos triumphavit, ut ex magistratus sententia ad rogum damnati sunt Arnoldus, Marsilius, Theodorus cum octo ex suis discipulis. In haeresim Petri Busiani strenue quoque dimicavit Albericus ex Abbate Viceliacensi Cardinalis ter Legatus in Gallias, qui De Realitate Corporis Christi in Eucharistia ita scripsit, ut cum Baronius appellare non dubitet Doctrina potentem ac sanctitate conspicuum columnamque Ecclesiae. Graecis de Paraclito a Patre Filioque procedente clavum retundit Henricus Abbas Brunsvicensis, et contra Donatistas ac Pelagianos Baptisma ad salutem necessarium asseruit Godefridus Cardinalis ex Abbate Vindocinensi, exarato hac epigraphe libello De latrone salvato.

Saeculum XIII haereticos peperit Apostolicorum nomine se iactantes, insuper Porretanos, Arnaldistas, Fraticellos, Albingenses. Duo priores S. Bernardus extinxit, Fraticellos Benedictus Papa XII, Arnaldistas Innocentius Papa II, Albingenses Henricus Abbas

Claravallensis, Didacus Antistes Oxomensis, Gulielmus Bituricensis, qui armorum vi ex tota Aquitania eiecit, et Tulca Archiepiscopus Tolosanus a Jacobo Cardinale de Vitriaco Ecclesiae Christi fortis columna celebratus.

Saeculo XIV Benedictini moderatores Collegii Cantuariensis triste ingenium Wielefi omnium primis introspectere, ipsumque a munere docendi et a studiorum regimine, cui inhiabat, prohibuere. Gulielmus Bingham, prior haereseos detector, prior per doctissimum opus depulsor. Quem inter centum excellentiores secuti sunt Simon Cardinalis De Langham, Ultredus Bolton monachus Dunelmensis, Joannes Velius Ramesiensis, et duo ex Abbatia S. Albani Simon Southray et Nicolaus Radeliff, ambo acerrimi Vicleffitarum exagitatores, ille libro De auctoritate Ecclesiae, deque Sacramento altaris, iste alio cui titulus Viaticum animae salubre.

Saeculum XV et amplius XVI novam monstrorum progeniem propagarunt, Zvinglium nempe, Hus, Lutherum, Calvinum, Henricum VIII, Bucerum, Melanctonem, aliosque eiusdem furfuris. Paucis complecti quantum hisce profligandis Benedictino virtus adlaboraverit, magnae molis opus. In specimen ceterorum aliquid attigisse sufficiat. Monachi Břevnovienses verbo et sanguine in Hussitas proeliati sunt. Braunae urbi et quadraginta et uno oppido ipsi auctores extitere haereseos eiurandae. Henricus Abbas S. Lamberti Styriae eosdem in Concilio Basileensi repressit. Matthaeus monachus Aulaeregiae ex eis una cum suo duce publico certamine triumphavit. Cistercienses eiusdem Joannis Hus et Hieronymi Pragensis proscriptionem in Synodo Constantiensi promovere. Joachim Abbas Sangallensis primus fuit, qui ex cathedra in Zvinglium inveheret. Laurentius De Heydegg Abbas Murensis illum solenni disputatione Badae habita fregit, licet ex hoc suae depraeditio Abbatiae secuta fuerit. In Lutheranos et scriptis et coram dimicantes magnum sibi nomen compararunt Joannes Torbeyt Abbas Schirensis, Volfgangus Sedelius, Isidorus Clarius opere Adhortatio ad concordiam, Ludovicus Blossius duplici libro Collyrium haereticorum. Facula illuminandis et aberrare avocandis haereticis. Abbas Joannes Albi singulari certamine Ratisbonae pugnans cum Schmidelio formulae lutheranae confictore, ita vicit et rubore opplevit, ut is eadem die fuga dilaberetur Vittembergam, et disputatio ubique locorum latino simul et germano sermone vulgaretur. Item Constantiae reprimuntur lutherani per monachos Abbatiae S. Petri, praesertim per quemdam Antonium nomine, qui Confessionem Augustanam refutavit et commentum luce clarius demonstravit. Augustam civitatem in fide continuit Bernardus Abbas S. Udalrici cum quatuordecim suis monachis; sicut Gervicus Abbas Sveviam fere omnem; Austriam, Bohemiam, Germaniam

Paulus Neckarus; Kaufburam et Viblingam Ducatus Vittembergae Henricus Clausius et Benedictus Abbas Faucensis. Jacobus Graess novenni conamine Anabaptistas urbe Jaghausen expulit; qui David Cornerum vulneribus pene confossum, eo quod ipsi resistere non potuerint Freystadii, nequiquam deterruere, quin universam Austriam superio.em ab haeresi abduceret. Ditelmus Abbas Sangallensis et Benedictus Abbas Tussensis armis heterodoxam audaciam com-pescunt, innumerosque vel lapsu in haeresim prohibent, vel lapsos ad Ecclesiae sinum reducunt. Idipsum per S. Benedicti sobolem gerebatur unaquaque regione haereseos infecta. Paulus Annicola et Volfgangus Marius Cistercienses Abbates cum ipso Luthero vires experiuntur, victoriamque capessunt. Dederat haeresiarca litteras, quibus cunctos Abbatiae Opacensis alumnos ad defectionem sollicitabat. Nemo unus pedem movit. Bernardus Rosa et Joannes Abbas Lobae, nihili facientes adversantium dynastarum insectationes, plurimos lutheranorum ad bonam frugem converterunt, praesertim ex Silesia, quo ex Misnio quoque et Saxonia convenire poterant quotquot sacris ordinibus initiandi erant. Henrico Boineckio Abbati Tuitiensi Bucerum perpetuo exagitare et superare gloria fuit. Joannes Fecknanus postremus Abbas Vestmonasterii omnium haeresum sectatores in Anglia pullularum ad pugnam lacessere non dubitavit. Nemo unus ausus fuit cum eo descendere in arenam. At ipse admiranda supra modum animi fortitudine, et quanta maxima libertate in Henrici regis insanias scribere et praedicare nunquam desinens, meruit diem supremum in vinculis obire, post non minus viginti septem annorum captivitatem. Resipiscentiae fructus tota Anglia demetiri datum est Richardo Hudlestonio, Godefrido Besselio Abbati Gotvicensi, Leandro a S. Martino nuncupato. Primus scripsit De brevi et recta via ad fidem et Ecclesiam, quo ipse Carolus II. rex haeresim eiuravit. Alter: Quinquaginta motiva fidem Romano-Catholicam omnibus aliis praeferendi, quem librum sapientes maximi fecerunt, quippe qui innumeris errantium ad fidem conversionibus accensuit illam Elisabethae Christianae, coniugis Caroli VI Imperatoris, nec non et illum Antonii Udalrici Ducis Brunsvicensis, de qua vel ipsa extatici Josephi a Cupertino sanctitas diffidebat. Postremus naturali ingenii acumine, ab haeresi, in qua natus erat, uno eodemque puncto ad Ecclesiam et ad Monasticum Ordinem ad-ductus, et ad praesidis Academiae Duacensis munus evectus, Bibliam universam publici iuris fecit, adiectis per singula capita Sanctorum Patrum interpretationibus Protestantium falsas et com-mentitias oppugnantibus. Strenuus in Melanctonem decertator Alphonsus De Virues ex monacho Ulmetano Episcopus Canariensis, in Spinozam Franciscus Lamy, in Calvinum Antonius Viennensis ex Abbate Antistes Catalaunensis, a Joanne Duchesnio appellatus

Doctor subtilis in his, de quibus nunc fere omnis est inter theologos controversia; insuper Gilbertus Genebrardus Archipraesul Aquensis, Joannes Gobelinius ex Abbatia S. Dionysii Parisiis, quem Henricus IV voluit in eioranda haeresi magistrum, demum Joannes Garnerius apud regem eundem Theologus et concionator.

Propioribus nobis saeculis, nempe XVII et XVIII in Gallianismum et Jansenismum pugnandum fuit. Fulciebatur illum vis Ludovici XIV Francorum regis, morum turpitudine non minus ac animi elatione famosi. At inter ipsos sibi subditos Benedictinos habuit oppugnatores. Primus Lorenensis Abbas Sinsart, qui opus evulgavit De veritate Catholicae Religionis: dein Benedictus Schmier De Militante Ecclesia, et Gallus Cartier Auctoritas et Infallibilitas Summorum Pontificum in fidei et morum questionibus definiendis stabilita et adversus Bossuetium et Turneillium vindicata. Innocentius Papa XI. refutandis quatuor propositionibus Gallicanis Angelum De Nuce ex Abbate Casinensi Archipraesulem Rossanensem inter ceteros elegit, et is communi omnium suffragio auctor fuit brevioris districtioris argutiorisque animadversionis, qua Quesnellii Commentaria Indici librorum proscriptorum sunt affixe. Coelestinus Sfrondati, adhuc Canonum Antecessor Salisburgi et antequam Apostolici Senatus Purpura auferetur, duplex ingenii sui monumentum in lucem protulit: Regale Sacerdotium Romano Pontifici adsertum, Gallia vindicata in Jesuitam Ludovicum Maimburgum, acerrimum regiae cupiditatis fautorem, quem doctissimus adversarius eiusdem Ecclesiae Galliarum testimoniiis comminuit. Accessere Augustinus Abbas Einsieldensis eruditum elucubrationum scriptor, et Josephus Saenz Cardinalis De Aguirre, qui Salmanticensem cathedram tenens semestri spatio edidit absolutissimas numeris profundissimasque Petri primatus vindicias. Verum de hoc benemerentissimus omnium censendus est Matthaeus Petidierius Abbas Senonensis, triginta annorum mora in Eliam Dupinium Pontificiae praerogativae adsertor: qui occasione Bullae Unigenitus proscibentis centum unamque Jansenianas propositiones, Theologicum Tractatum edidit Benedicti Papae XIII laudibus mirificis elatum. Per hunc ordine chronologico probat: Primos Papalis inerrantiae defensores alios non extitisse quam Sanctissimi Benedicti filios: Gregorium Magnum saeculo VI, Bedam VII et VIII, Hincmarum et Ratramnum nono, Raterium decimo, Petrum Damiani Lanfrancum Anselmum undecimo, Bernardum et Thomam Cantuariensem duodecimo. Demum Petrum Cellensem, Rupertum Tuitiensem, Potonem Prumiensem, innumerosque alios inter Italos Gallos Hispanos Germanosque monachos. Ecquisnam hoc tractatu opportunior occideret Concilio Vaticano? At verum est illud

Musantii (Facis Chronologicae Tab. IV): Hoc aevo fortasse litteris obest nimia librorum copia, quae nos inopes facit sapientiae, quia dum novorum multitudine occupamur, optimos veterum plerosque negligimus. Primam paragraphum absolventes attigimus de Collegio Gregoriano a Constantino Caietano Benedictinis sacris Missionibus instituendis erecto, et idea archetypha Seminarii De Propaganda Fide. At tanti operis aggrediendi inspiratores et duces sibi extitisse monachos Anglos Caietanus ipse fatebatur. Quippe qui probe intelligentes Henrici VIII et Elisabethae astus ad Religionem stirpitus ex totius Britanniae oris evellendam intendere, duo Collegia Vallisoleti, tertium Duaci,<sup>1)</sup> et alia alibi excitaverant, quibus scopus praecipuus apostolos informare, qui per omnium discrimina rerum patrium solum penetrarent, haereticis ad fidem revocandis, catholicis in ea confirmandis. Neque facile dictu quanta aemulatione huiusmodi instituta Benedictinos omnes percellerent, quantaque contentione praestantissimi virorum sive doctrina sive meritis sive muniis exantlatis undique locorum convenirent, sanguinem cum vita ipsa animabus servandis effusuri. Aeterna laude posteris commendabuntur nomina Gelasii Abbatis Boilensis, qui ipso extremi supplicii loco quingentos haereticorum Ecclesiae conciliat. Anselmi Manchesterii, Thomae Prestonii, Roberti Sadleri, Augustini a Sancto Joanne dicti, Gulielmi Scoti, Patritii et Malachiae monachorum Bulliensium, et Georgii Gervasii, qui omnes exemplo cruciatuum tolerandorum et martyrii consummandi illud Catholicae veritatis germen Angliae aberranti foecundarunt, quod hodie in tantam messem crescit.

Alii Religiosorum Ordines in unam vel aliam vel plures nostri aevi propiores haereses dimicarunt. Hydra centum et amplius cervicium assidue pullulantium, una cum idololatriae horribili monstro, iacebit tota quanta est magno Summi Benedicti pede oppressa atque protrita.

P. S.

---

<sup>1)</sup> Nostris diebus adhuc superstes omnibus civilibus perturbationibus viget floretque Duacense Collegium, quod nobis magno animi sensu grataque admiratione invisere datum est. Ibi Seminarium clericorum omnium fere modernarum Dioecesium Angliae, ipsiusque Familiae Benedictinae; quae non minus quam sexcentos expresse professos monachos per magnae insulae circuitum numerat, minime computatis fironibus, vel studio addictis vel rei familiari mancipatis. Laus Academiae Duacensis ita in ore omnium viget ut illud Scripturae oraculum Nec erat qui loqueretur de illa verbum malum (Judith C. 1.) adamussim applicetur, licet in gremio invidentium Gallorum versetur. At amplior laus, in lucrandis suae gentis animis nihil pecuniae aucupandae inhiare.